

Obi. III. — Aquinas plures ideas in Deo admittit.

R. — *Dist.* Aquinas in Deo admittit plures ideas ceu plures respectus unius eiusdemque ideae, plures gradus imitabilitatis unice ac simplicissimae divinae essentiae, *conc.*; secus *nego.* « Idea (in Deo) non nominat tantum essentiam, sed essentiam imitabilem: unde secundum quod est *multiplex imitabilitas* in essentia divina, propter plenitudinem suae perfectionis, est *pluralitas* idearum » (I., *Sent. Dist.* XXXVI, q. II, a. II, ad I).

Obi. IV. — Equidem mala non sunt imitationes essentiae Dei. Atqui Deus non intelligit res nisi quatenus sunt imitationes essentiae suae. Ergo Deus non intelligit mala.

R. — *Conc. mai. et min., sed nego cons.* Adversarius arbitratur mala habere *esse* et speciem intelligibilem propriam, qua intelligantur independenter ab *esse* et specie intelligibili propria bonorum quibus opponuntur. Sed perperam. Re enim vera, mala, quippe quae non sunt nisi privationes boni, nequeunt habere *esse* proprium et speciem propriam qua intelligantur; sed intelliguntur per entitatem speciemque propriam bonorum quibus opponuntur, et in quibus unice existunt. Itaque intelligere mala, idem plane est ac intelligere bona deficientia, carentia scilicet ulterioris perfectionis qua melius imitentur essentiam Dei. Iam Deus, intelligendo essentiam veluti multipliciter imitabilem, utique intelligit etiam bona quatenus plus minusve deficienter eam imitantur deficientiaque evadunt. Ergo Deus intelligit etiam mala.

§ II. DE VOLUNTATE.

Praeter intelligendi perfectionem, inesse Deo perfectionem volendi, ambigi nequit. Re quidem vera: — 1) voluntas est facultas naturaliter consequens intellectum; — 2) perfectio effectuum arguit aequalem saltem perfectionem in causa; — 3) si Deus non amaret bonum, odioque non haberet malum, non esset infinite perfectus; — 4) dempta a Deo voluntate, complura alia attributa, quae ad voluntatem referuntur, uti iustitia, liberalitas, benignitas, etc., ab ipso item demenda

forent. Licet igitur confestim aggredi quaestionem de modo, quo Deus seipsum aliaque a se distincta velit.

THESIS. — *Deus vult seipsum primario et necessario; alia vero secundario et libere.*

Prob. I p. (*Deus vult seipsum primario*). — Voluntas consequitur intellectum, scilicet fertur in bonum qualiter ab intellectu apprehenditur. Atqui intellectus divinus primario apprehendit essentiam Dei, h. e. ipsum Deum. Ergo voluntas divina fertur primario in ipsum Deum.

Prob. II p. (*et necessario*). — Ens voluntate praeditum necessario finem suum ultimum, bonum summum, beatitudinem vult (Cfr. pag. 205-6). Atqui solus Deus, utpote perfectissimus, est summum bonum, efformans beatitudinem omnium volentium, proindeque etiam sui ipsius. Ergo Deus necessario seipsum vult.

Prob. III p. (*alia vero secundario*). — I. « Voluntas consequitur intellectum. Sed Deus intelligit seipsum principaliter (*primario vel per se*), et in se intelligit omnia alia. Igitur simul principaliter vult se, et volendo se vult omnia alia » (*Contr. Gent.*, lib. I, c. LXXV).

II. — Nequit Deus primario velle quod per se nullam bonitatem habet, sed totam suam bonitatem a bonitate divina recepit. Atqui res a Deo distinctae omnem bonitatem suam a bonitate divina receperunt. Ergo Deus nequit primario velle res a se distinctas. Sed si nequit velle res a se distinctas primario, *secundario* eas velle debet, alioquin ab ipso non fuissent productae. Ergo...

Prob. IV p. (*et libere*). — I. — Quilibet volens necessario fertur in finem ultimum, seu in bonum summum, et in ea quae cum ipso necessario connectuntur: in reliqua fertur libere. Sed finis ultimus omnium est ipsemet Deus: creaturae autem, quia finitae, nec possunt constituere finem ultimum Dei, nec possunt cum eo necessario connecti, « bonitas » enim « Dei est perfecta, et esse potest sine aliis, cum nihil ei perfectionis ex aliis accrescat » (*S. Th.* p. I, q. XIX, a. III). Ergo Deus libere vult alia a se distincta.

II. — Voluntas Dei perfectissima esse debet, quippe, cum Deus sit ens infinitum, nonnisi attributa infinita ei accommodari possunt. Iam ad voluntatis perfectionem pertinet bona necessaria, tanquam necessaria, bona vero contingentia, tanquam contingentia, appetere. Sed appetere necessaria tanquam necessaria, contingentia vero tanquam contingentia, idem est ac appetere necessaria necessarie, et contingentia contingentem, h. e. *libere*. Ergo...

III. — Si Deus necessario vellet alia a se distincta, ab ipsis dependens fieret. Iam Deus, quippe qui est causa prima omnium, infinitus, simplicissimus, immutabilis, nullatenus quit ab aliis dependere. Ergo Deus non necessario vult alia a se distincta. Sed si non necessario vult, aut ea nullatenus vult, aut libere vult. Primum patet esse falsum, quia, cum voluntas Dei sit principium essendi rebus, si Deus creaturas non vellet, hae non existerent. Ergo...

Coroll. I. — Itaque damnandi sunt quicumque dictant Deum adstringi aliqua necessitate physica (pantheistae omnes), vel morali (Cousin, Rosmini), ad rerum productionem.

Coroll. II. — Deus nequit velle malum morale, h. e. peccatum. Revera peccatum consistit in privatione ordinis ad ultimum finem, scilicet in hoc quod aliquis operando declinet a suo ultimo fine, a summo bono, a Deo. Atqui Deus primario et necessario vult seipsum, alia vero nequit velle nisi volendo seipsum, h. e. in ordine ad seipsum.

Obi. I. — Nequit Deus velle alia a se, nisi quatenus voluntas eius ab illis movetur. Atqui Deus a nullo alio moveri potest. Ergo...

R. — *Nego mai., conc. min. et nego cons.* « In his quae volumus propter finem, tota ratio volendi est finis et hoc est quod movet voluntatem. Et hoc maxime apparet in his, quae volumus tantum propter finem. Qui enim vult sumere potionem amaram, nihil in ea vult nisi sanitatem; et hoc solum est quod movet eius voluntatem: secus autem est in eo, qui sumit potionem dulcem; quam non solum propter sanitatem, sed etiam propter se aliquis velle potest. Unde cum Deus alia a se non velit, nisi propter finem, qui est sua bonitas; non sequitur quod aliquod aliud moveat volun-

tatem eius, nisi bonitas sua; et sic sicut alia a se intelligit intelligendo essentiam suam, ita alia a se vult volendo bonitatem suam » (I, q. XIX, a. II, ad 2).

Inst. — Si Deus vult alia a se propter bonitatem suam videtur hanc illi non sufficere.

R. — *Nego*, enimvero quum dicimus Deum velle alia a se propter bonitatem suam, insinuare volumus Deum velle alia a se, non ut perfectiva sui, sed ut terminos diffusionis sui, scilicet ut effectus per quos sua bonitas diffundatur ac manifestetur (1).

Obi. II. — Si admittitur Deum velle alia a se, admittitur in ipso multiplicitas actuum voluntatis repugnans summae eius simplicitati.

R. — *Nego*. Et vero: 1) « Velle competit Deo secundum quod est intelligens. Sicut igitur uno actu intelligit se et alia, in quantum essentia est exemplar omnium, ita uno actu vult se et alia, in quantum sua bonitas est ratio omnis bonitatis » (*Contr. Gent.*, lib. I, cap. LXXXVI).

2) Ipsae creaturae, si eodem actu intellectus apprehendunt finem aliquem mediaque ad ipsum, eodem actu voluntatis feruntur ad finem et ad media. Atqui Deus eodem actu intellectus apprehendit bonitatem suam, simul et omnia alia quae ad illam tanquam media ad finem ordinantur. Ergo...

3) Actus volitivus Dei, quippe qui idem est ac voluntas et essentia Dei, est infinitus in perfectione: quapropter, licet unicus, aequipollet multis, imo infinitis actibus voluntatum creaturarum.

Obi. III. — Si admittitur Deum velle alia a se *libere*, admittitur in Deo aliquam multipliciter, contingentiam,

(1) « Non per avere a sè di bene acquisto,
Che esser non può; ma perchè suo splendore
Potesse, risplendendo, dir: subsisto,
S'aperse in nuovi amor l'eterno Amore ».

Ita ALIGHIERI, in *Parad.*, c. XXIX. — Et Aquinas: « Alia vult (Deus) in ordine ad bonitatem suam; non autem hoc modo ut per ea aliquid bonitatis acquirat, sicut nos facimus, sed ita quod eis de bonitate sua aliquid largiatur: et ita liberalitas est quasi proprium ipsius » (I *Sent.* Dist. XLIV, q. I, a. 2).

mutabilitatem: multiplicitem, quia repugnat actum, quo Deus *libere* fertur in alia a se, esse eundem actum quo Deus fertur *necessario* in seipsum; contingentiam, quia actus liber non est liber, nisi quatenus potest esse et non esse, scilicet est contingens; mutabilitatem, quia quod potest esse et non esse, est mutabile.

R. I. — Praesentes difficultates in primis solvuntur faciendo infirmitatem mentis nostrae, quae, postquam ob oculos posuit absolutam simplicitatem, necessitatem, immutabilitatem atque perfectam Dei libertatem, renuit haec omnia simul perspicuo modo componere.

II. — Solvuntur nonnullis animadversionibus ac distinctionibus quae a theologis sapientissime fieri solent. Et:

1) Cum Deus sit actus purissimus, libertas eius nequit, sicut in creaturis, consistere in *indifferentia* quadam *potentiae* ad eliciendos plures actus: sed consistere debet in *indifferentia* quadam *actus* ad terminandum in plura obiecta.

2) Actus volitivus Dei considerari potest, tum in sua entitate h. e. secundum suum esse, tum in sua terminatione, h. e. secundum respectum quem habet ad obiecta diversa. Si primum, affirmandum est ipsum unicum, necessarium, immutabilem omnino esse; etenim identificatur cum essentia divina. Sin alterum, affirmandum est ipsum multiplicem esse (multa enim sunt obiecta in quibus terminatur); et quoad Deum necessitate absoluta pollere, quoad alia contingentiam admittere (1).

3) Actus volitivus Dei, licet contingens, quatenus

(1) « Entitas huius actus (scilicet actus divini) una est, simplicissima, absoluta, non relativa ad aliud; eius vero terminatio potest nihilominus et multiplex in infinitum esse, et diversa. Quod, ut dixi, ab infinita divini actus perfectione consequitur. Necessitas enim plurium actuum ab essentia distinctorum ad plura agenda, eo procedit in essentiis finitis, quod essentia finita, cum non habet actu totam eam perfectionem quam habere potest, indiget novis accidentalibus determinationibus et actibus, quibus suppleatur quod actualitati essentiae deest: cumque unusquisque ex hisce actibus sit finitae virtutis, non potest essentia finita unico actu omnia attingere obiecta, sed necesse habet diversis actibus diversa attingere obiecta, imo ad obiecta singula pluribus quandoque actibus redire. Divina autem essentia, quae est actus infinitae virtutis, novis hisce

terminatur ad creaturas, attamen dici nequit mutabilis. « Voluntas Dei est omnino immutabilis. Sed circa hoc considerandum est, quod *aliud est mutare voluntatem, et aliud est velle aliquarum rerum mutationem*. Potest enim aliquis eadem voluntate, immobiliter permanente, velle quod nunc fiat hoc, et postea fiat contrarium. Sed tunc voluntas mutaretur, si aliquis inciperet velle quod prius non voluit; vel desineret velle quod voluit. Quod quidem accidere non potest, nisi praesupposita mutatione vel ex parte cognitionis, vel circa dispositionem substantiae ipsius volentis. Cum enim voluntas sit boni, aliquis de novo dupliciter potest incipere aliquid velle. Uno modo sic, quod de novo incipiat sibi illud esse bonum; quod non est absque mutatione eius. Sicut adveniente frigore, incipit esse bonum sedere ad ignem; quod prius non erat. Alio modo sic, quod de novo cognoscat illud esse sibi bonum, cum prius hoc ignorasset. Ad hoc enim consiliamur, ut sciamus quid nobis sit bonum. Ostensum est autem supra, quod tam substantia Dei quam eius scientia

determinationibus non indiget, sed id quod est in se manens, ad infinita obiecta, ac diversis modis, terminari potest.

» Sic, ex. gr., actus divinus... prouti terminatur ad res creabiles, est liberrima electio; prouti terminatur ad res creandas, est vis infinita tribuens iis, quae non sunt, existentiam. Efficacia externa huius actus in iusto est amor benevolus, in impio est odium puniens, vel misericordia parcens. Unde quum homo ab impio fit iustus, intrinseca divini actus entitas non mutatur, sed tantum externa illius efficacia. Et ita dic de reliquis.

» Hoc ut melius intelligas, considera solem. Sol unicum actum exerit, si ita loqui fas est; radios videlicet quaquaversus emittit. Sed hic actus in sole unicus, pro terminorum, quos attingit, multitudine, diversitate, successione, multiplex fit ac mirifice varius. Sic eodem actu sol et colores rebus inducit diversos, et calorem ciet, alia obdurat, alia emollit, alia exsiccatur, vapores elevat, ventosque commovet, et dum vitam omnem fovet atque conservat, in multis illam extinguit. Ipse non movetur, sed omnia circa ipsum moventur, et virtutis eius termini successive fiunt.

» Disparitatibus manifestis, non consideratis, simili quodam modo purissimus actus divinus, absolutus in se et unicus, habet in terminis denominationem et efficaciam multiplicem; termini sunt diversi, termini mutantur, sed ipse agens, nec multiplices exercet actus, nec mutationem ullam patitur; unus hic eius actus est, esse quod est; hic unus actus ad omnia sufficit » (TONGIORGI, *Theol. nat.*, lib. III, c. I, a. 3).

est omnino immutabilis. Unde oportet voluntatem eius omnino esse immutabilem » (I, q. XIX, a. VII).

§ III. — DE POTENTIA.

Potentia, quam de Deo nunc praedicamus, non est potentia passiva, principium seu capacitas aliquid patiendi ab alio (haec evidenter imperfectio quaedam est, negatio actus seu entis, penitus repugnans enti perfectissimo, actui purissimo, Deo); sed est potentia activa, et proprie immediatum principium agendi aliquid extra se; principium exequens id quod voluntas imperat et ad quod scientia dirigit.

THESIS. — *Deus potens est, et quidem infinite.*

Prob. I p. (*Deus potens est*). — I. — Re sane vera, potentia de qua hic agitur, in se spectata, non nisi perfectionem dicit. Atqui Deus, utpote ens infinitum, omnem perfectionem puram, h. e. simplicem, praeserere debet. Ergo...

II. — Mundus est contingens. Sed contingens a necessario, a Deo, produci debuit. Ergo...

Prob. II p. (*et quidem infinite*). — I. Unicuique competit potentia activa secundum quod ei competit esse. Id ratione simul et observatione comprobatur. — Ratione, nam posse agere fundatur in esse, ideoque ei proportionari debet, tanquam effectus causae. — Observatione, nam semper videmus res in natura existentes, quo magis perfectam naturam habent, eo magis perfectos producere effectus. — Atqui Deus est ipsum esse subsistens, esse perfectissimum, infinitum. Ergo...

II. — In Deo potentia activa non solum fundatur in esse, eique proportionatur, sed est unum atque idem cum ipso. Iam esse Dei est infinitum. Ergo...

Coroll. — Cum Deus praeditus sit potentia infinita, omnia potest, nimirum potest producere quidquid habet rationem entis, quidquid intrinsece non repugnat, quidquid non est contradictorium.

Obi. — Deus nequit efficere ens actu infinitum. Ergo non est omnipotens.

R. — *Conc. antec.*, sed *nego cons.* Ens effectum et nihilominus actu *infinitum*, est quid rationi entis repugnans, contradictorium, *absolute* h. e. per seipsum impossibile, non per impotentiam Dei.

ARTICULUS VIII.

DE UNITATE DEI.

Unitatis nomen, quum de Deo loquimur, dupliciter adhiberi potest: nimirum, vel ut significetur ipsum non esse in se divisum, vel ut significetur ipsum non habere aequalem, sed esse unicum.

Deum esse unum sub priori respectu, iam dubitari nequit: ipse enim, cum sit simplex, imo simplicissimus, profecto est, non modo indivisus, sed prorsus indivisibilis. Quaestio itaque versatur tota circa illius unicitatem.

THESIS. — *Deus est unicus.*

Prob. I. — *Ex eius infinitate.* Sane, infinite perfectum est illud, quo maius excogitari nequit. Atqui si plures essent Dii, aliquid maius ipsis excogitari posset, nempe ens cui par aut simile nihil esset. Ergo... — Hoc argumento sic Marcionem coarguit Tertullianus: « Quae erit iam conditio ipsius summi magni? Nempe ut nihil illi adaequetur; id est ut non sit aliud summum magnum; quia si fuerit, adaequabitur; et si adaequabitur, non erit iam summum magnum... Ergo unicum sit necesse est, quod fuerit summum magnum » (*Adver. Marcio.* lib. I, c. 2).

II. — *Ex eius simplicitate.* Sane, quando aliqua essentia multiplicatur in pluribus individuis, in unoquoque individuo, praeter essentiam communem, necessario inveniri debet aliquid aliud, quo ipsa essentia individuetur, nempe fiat individuum A, potius quam individuum B; etenim illud unde aliquid singulare est *hoc aliquid*, nullo modo est multis communicabile; et si « illud unde Socrates est homo, multis communicari potest; id unde est *hic* homo, non potest communicari nisi uni tantum » (I, q. XI, a. 3). Nunc age. Cum

Deus sit ens simplicissimum, secundum idem est Deus et *hic* Deus; aliis verbis, essentia divina per seipsam individuatur et non per aliquid aliud. Iam si essentia divina per seipsam individuatur et non per aliquid aliud, impossibile est ipsam multiplicari in pluribus individuis, scilicet impossibile est plures Deos existere.

III. — Ex eius libertate. Si enim plures Dii existerent, omnes quidem perfecta libertate frui deberent circa bona a se distincta, finitaque. Sed in hac hypothesi quod unus vult, alter posset nolle; et hinc conflictus iurium, voluntatum, actionum, quos ipsi vitare non possent, nisi conveniendo inter se. Ast id manifeste laederet earum perfectam libertatem. Ergo...

IV. — Ex auctoritate divina et humana. Re enim vera ipsemet Deus unitatem suam multoties protestatus est. « *Ego primus et novissimus, et absque me non est Deus* » (ISAIA., XLIV, 6); — « *Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus praeter me* » (Deut. XXXII, 39). — Quod attinet ad philosophos, sapientiores etiam vetustissimae aetatis, quamquam reipublicae causa pluralitatem Deorum palam retinendam putarent, unicum tamen esse Deum rati sunt.

V. — Accedit penitus inutile esse plures Deos admittere. Et vero, rationes quibus certatim homines Deum admittunt, huc tandem redeunt, scilicet ut per ipsum, solutionem accipiant quaestiones existentiae rerum contingentium, finitarum... necnon quaestiones existentiae ordinis physici, logici... Iam ad solutionem harum questionum oppido sufficit admisisse unum Deum absolute necessarium et infinitum quoad esse, quoad durationem, praesentiam, scientiam, potentiam. Ergo... (1).

Coroll. I. — Ex tribus primis argumentis liquido profuit Deum, non modo unicum esse, sed nonnisi unicum esse posse.

(1) Non modo sufficit unum Deum admisisse, sed melius est. « Melius enim multa reducuntur in unum ordinem per unum, quam per multa; quia per se unius unum est causa; et multa non sunt causa unius nisi per accidens; in quantum scilicet sunt aliquo modo unum » (I, q. XI, a. 3).

Coroll. II. — Inexcusabiles fuerunt et sunt politheistae; sed non minus inexcusabiles dualistae antiqui (Persae Zoroastri discipuli, Manichaei, etc.) et hodierni (*Framassoni*), qui venditarunt et venditant existentiam duarum divinitatum, per se subsistentium, necessariarum; quarum tamen una sola esset absolute bona, causaque totius boni; altera esset absolute mala, causaque totius mali. — Ne quid dicam de impietate et stultitia dualistarum hodiernorum, qui nescientes ex operibus diversis diversas causas dignoscere, contendunt (horresco referens!) divinitatem malam esse Jehovah, divinitatem autem bonam esse Luciferum (Cfr. *Civil. Catt.*, serie XV, vol. XII, quad. 1063):

1) In memoriam revocandum est absurdum, iam in Ontologia patefactum, entis absolute mali. Malum non est nisi privatio boni, proindeque entis, nam bonum et ens convertuntur. Atqui si malum non est nisi privatio entis, repugnat existentia entis, absolute mali, aequae ac repugnat existentia absoluti nihili.

2) Itidem in memoriam revocandum est quod in superioribus articulis firmiter statutum fuit, scilicet ens necessarium, per se subsistens, nonnisi infinitum esse posse, atque ideo omnibus perfectionibus, gradu summo, eminenti, exornatum.

3) Uti nuper ostendimus, inter perfectiones, quibus ens necessarium, infinitum exornari debet, recensetur unitas; et quidem unitas, quae non solum excludat aequalem, sed ipsam aequalis possibilitatem.

Obi. I. — Non repugnat aequalis perfectio pluribus convenire in eodem genere contentis. Ergo non repugnat existere plura entia summe perfecta, nempe plures Deos.

R. — *Dist. ant.* — Si agitur de perfectione contingenti, limitata, relativa, *tran.*; secus, *nego.* Iam Deus est ipsa perfectio per se subsistens, est scilicet perfectio absoluta, infinita, transcendens omne rerum genus. Ergo...

Inst. — Docet christiana fides esse in Deo tres personarum infinitas et aequales. Ergo a pari...

R. — *Conc. ant., nego conseq. et parit.* Nam et natura et perfectio essentialis trium personarum unica est, ac plane

singularis. Hoc autem repugnat, divinam naturam multiplicari et aequalem habere; non vero naturam hanc trium esse personarum. Quemadmodum si reale esset spatium infinitum, repugnaret utique esse alterum spatium infinitum; non tamen repugnaret idem spatium secundum tres suas dimensiones infinitum esse » (TONGIORGI, *Theol.* lib. II, cap. 3).

Obi. II. — Unitas importat solitudinem. Atqui solitudo imperfectio quaedam est.

R. — *Conc. mai.*, et *dist. min.* Solitudo imperfectio quaedam est entibus sibi insufficientibus ad beate vivendum, *conc.*; enti sibi sufficientissimo, beatissimaque trium personarum societate, ineffabili ratione, fruenti, *nego.*

Obi. III. — Consensus populorum fuit pro existentia plurium Deorum. Ergo...

R. I. — *Trans. ant.*; *nego* tamen *cons.* Etiam si omnes populi vetustiores, ad quos adversarius nos provocat, revera consensissent in admittenda Deorum pluritate, cum populi posteriores talem pluralitatem repudiarent, consensus ille nullam nanciscitur vim demonstrativam. Ergo...

II. — *Nego ant.* et *cons.* Etenim: — 1) nec in antiquis temporibus populi omnes consenserunt in politheismo (Hebraei, e. g., sunt certo excipiendi); — 2) constat religionum historia populos vetustissimos, prius quam in politheismum ruerent, monotheismum professos fuisse; — 3) omnes illi qui plures Deos venerabantur, unicum tamen Deum, optimum, maximum agnoverunt, quem Virgilius, Homerus, Hesiodus appellant *patrem divumque hominumque, divum patrem atque hominum regem*; — 4) quid quod ipsa naturae vox, dum Deum esse praedicat, unitatem eius videtur insinuare? Et re, ipsi gentiles, quamquam vanis Deorum superstitionibus occupati, ita loqui consueverant: Quod Deus dederit, si Deus voluerit, Deus bonus est, benedicat te Deus, Deus videt omnia, Deus reddet, Deus inter nos iudicabit. « *O testimonium* », inquit Tertullianus, *animae naturaliter christianae* » (*Apolog. c. XVII*).

CAPUT III.

DE ATTRIBUTIS DEI RELATIVIS.

Attributa relativa, quorum tractatio maxime interest, quatuor sunt, videlicet: — 1) creatio; — 2) conservatio; — 3) concursus; — 4) providentia.

Ut quisque perspicit, attributa haec proprie consistunt in operationibus Dei *ad extra*. Verum, cum a Deo arcenda sit quaelibet realis compositio, intrinseca mutatio et contingentia, praestat animadvertere: — 1) recensitas operationes, *terminative* consideratas, esse quidem distinctas, diversas et contingentes, prout distincti, diversi et contingentes sunt termini, seu effectus, earum; sed consideratas *entitative*, i. e. in se, non esse nisi unam eandemque operationem, actum purissimum ac necessarium, ipsam essentiam Dei cum relatione tamen ad res extra Deum existentes, ad creaturas; — 2) omnem relationem intercedentem Deum inter et creaturas esse ex genere illarum, quae a philosophis appellantur relationes reales *non mutuas*: etenim, quanquam termini huiusmodi relationum sint ambo reales (Deus et creaturae), fundamentum est reale tantum in creaturis, quatenus ipsae, per creationem, conservationem, etc., realiter perficiuntur; non autem in Deo, cui per creationem, conservationem, etc., nihil novi advenit.

ARTICULUS I.

DE RERUM CREATIONE.

Non loquimur hic de creatione metaphorica, cuiusmodi esset e. g. elevatio alicuius hominis ad altiorem gradum, productio operis artis, conceptio mentis; sed loquimur de creatione eo genuino sensu accepta, quem semper habuit et habet penes christianos philosophos.

Creationis definitio. — Creatio definita fuit: *productio rei ex nihilo sui et subiecti*. Verba *productio rei ex nihilo*